



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crucifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.1. Perenne[m] gratámq[ue] Passionis Christi recordationem, ad
immortalem Patris gloriam pertinere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

§. I.

*Perennem gratamque passionis Christi recordationem, ad
immortalem Patris gloriam pertinere.*

Hinc quippe prima ac primaria petitur propositi à nobis
incitamenti ratio. Nam si ita comparatum est, ut glo-
riosorum facinorum, & quæ quis præclare pro multorum
salute gesserit, ipsorum auctori ac patratori jucundissima
accidat commemoratio: quodnam, amabo, divinis auri-
bus jucundius continget acroama, quæ divino cordi prædi-
catio acceptior; quàm si jugi recogitatione ac devotione
cordis, commemoremus opus illud præ cæteris admirabile,
& divinorum operum divinissimum, opus inquam redem-
ptionis humanæ: illamque celebremus infinitam Charita-
tem, quâ sic *Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum*
daret, eumque veluti suis detractum visceribus, pro salute
nostra contraderet, ærumnisque ac supplicijs omnibus, tum
etiam in primis acerbæ ac ignominiosæ morti, morti scilicet
crucis, objiceret?

Joann. 3.

Nullum quippe est divinorum operum, in quo illa,
quæ dici solent, divinæ naturæ attributa, expressè magis
eluceant. Sive Dei spectemus potentiam, quæ in id operis
vim omnem suam exeruisse visa est: sive sapientiam, quæ
tam admirabilem redimendi hominis modum adinvenit,
quo & justitiæ suæ unâ & misericordiæ satisfacere, resque
adeo in speciem adversas ad pacis osculum mutuamque
complexum vocaret: sive denique, & præsertim, attenda-
mus infinitam ejus bonitatem, qui ex quadam amoris exu-
perantia, ad rem tam insolentem, & (humano sensu) di-
gnitati suæ parum decoram, nostrâ causâ descenderit: seque
adeo jam non Deum ultionum, sed Patrem misericordia-
rum & Deum totius consolationis exhibuerit.

Psalm. 84.

Ut enim prædicat inculcâtque Ioannes Apostolus:

In

In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Unigenitum, ^{1. Ioan. 4.}
 suum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. Et subdit:
 In hoc est charitas. Ut quamvis in cæteris omnibus Dei o-
 peribus emicent nonnullæ divini amoris & charitatis tan-
 quam stricturæ; quippe qui omnia ex amore condiderit,
 (nec enim odio habens aliquid constituisse, ut dicitur in libro ^{Sap. 11.}
 Sapientiæ) attamen in hoc opere redemptionis humanæ,
 ita præ cæteris suis operibus, charitatem suam luculenter,
 atque apertè prodidit, ut in eo solo (ex dilecti discipuli sen-
 tentia) divinæ charitatis vis apparuisse, aut ejus certè sum-
 ma sita esse videatur. In hoc enim est charitas.

Absque hoc esset, laterent nos profectò viscera miseri-
 cordiæ Dei nostri; ignota esset illa ejus humanitas, sive phi-
 lanthropia & adversum nos amor; quænam esset dulcedo
 divini cordis, & suavitas spiritûs, ne suspicione quidem
 attingeremus; verbo, vim ipsam & energiam, & velut in-
 genium aut indolem divinæ bonitatis, ignoraremus. <sup>Luc. 1.
Tit. 4.</sup>

Hujus igitur divinissimi operis, in quo divinæ naturæ
 decora, hoc est ipsa forma & tanquam lineamenta divinita-
 tis, sese (si uspiam) excellenter produnt & explicant, cum
 grati animi significatione celebratio, uti divinæ majestati
 summè gloriosa, ita non potest non esse jucundissima.

Ac si nemini dubium esse potest, olim gratum accidit-
 se infelicissimo illi parenti studium filiarum Israël, quæ ver-
 tente anno in unum convenientes solenni carmine plange-
 bant filiam Iephte Galaaditæ, quam is è prælio victor rever-
 tens, per inconsultam devotionem aris admoram ipse suâ
 manu hostiam tristem mactaverat; tamen ea comploratio,
 non tam solatium esse videretur infelicis orbitatis, quàm in-
 consolabilis resuscitatio doloris: quantò amplius jucun-
 dum erit Patri cœlesti studium istud piarum mentium; si
 nempe ipsius Unigeniti mortem, quem destinato summæ
 sapientiæ consilio, compellente misericordiâ, justitiæ suæ

decoram victimam, pro mundi redemptione immolaverit, non anniversario duntaxat officio, sed recordatione perenni, perpetuóque lætu celebrantes, faciamus quod scriptum est: *Zach. 12. Et plangent eum plañtu quasi super unigenitum, & dolent super eum ut doleri solet in morte primogeniti.*

Perennet igitur vivátque in animis nostris ad immortalẽ Dei ac Domini nostri gloriam, tam præclari facti nunquam interitura memoria: eamque victoriam, quã de ipso Deo ita volente triumphavit divinus amor, assiduè recolentes, hoc illi veluti trophæum in cordibus nostris statuere, curemus; dicamúsque ipsi divino amori, quod de Iacobo Patriarcha scriptum est: *Gen. 32. Si contra Deum fortis fuisti, quantum magis contra homines prævalebis?*

§. 2.

Eandem ipsi Dei Filio, nostrã causã à Patre depresso atque exinanito, perquam esse gloriosam.

Hinc autem existit altera ejusdem incitamenti ratio. Adhuc quippe nunc, eam ipsam passionum Christi perennem gratiamque recordationem: cum ipsi etiam Dei Filio Redemptori nostro gloriosissima sit, hoc quoque nomine, æterno Patri acceptissimam esse debere: qui utique dilectissimum Filium ad has miseras vilitatẽmque nunquam abjecisset, nisi hunc ex ipsis opprobrijs gloriosorem illustrioremque emerfurum esse cognosceret. Proinde & illud studere videtur magnopere, ut illam ipsius summam & incredibilem abjectionem, immortalis nominis memoriã, & pari gloria excellitate compenset.

Ergo quem, salutis nostræ respectu, omnibus non modo cruciamentis, sed & opprobrijs contumelijsque objectum, infra omnia (ut ita dicam) abjecerit: ejus vicissim nomen ac gloriam per nos attolli celebrarique, summo quodam